



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 8. in discordes conjuges.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

PHILIPPICA VIII.

In Discordes Conjuges, DOMINICA II. post Epiphaniam.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ Ioannis 2. v. 1.

§. 1.
Cur no-
men Spon-
sorum non
ponatur?



On exprimitur no-
men Sponsi, & Spon-
sæ, à quibus solenni-
tas instituta fuerat,
nuptiarum, sed locus
accurato consignatur calamo, in
quo solennitas transacta, sive ut
Neosponsorum carperetur ingrati-
tudo, quòd pro tanto prodigio con-
versæ in vinum aquæ gratias nullas
dixerint, ideòque sinè nomine re-
manserint: ingratitude enim, inquit
Sylveira, beneficiorumque oblivio
nomen maximè obscurat, & expun-
git; tum quòd hoc sponsorum par-
figuram gerat eorum conjugum,
quibus vinum charitatis deficit, nec
nisi insipida rixarum, lachrymarum,
zelotypiæ aqua suppeditat. Unde
& *Cana* celebratæ dicuntur nuptiæ,
quia *Cana*, interprete D. Thoma,
V. Beda, & Seraphico Bonaventurâ,
Zelum significat; ubi enim malus
regnat zelus, ibi charitatis vinum
deficit, & nisi miraculo succurrat Ie-
sus, plena tumultibus, lamentis, in-
fortunij erunt omnia; ut denique
transmigratione sequi oporteat, un-
de *Cana Galilææ* appellatur, quia ze-
lus trãsmigrationi copulatur. Quid-
si & Cananæi in hanc urbem trans-
migrãssent, & de compluribus con-
jugibus ex vero affirmari posset:
*vinum non habent? fel draconum vi-
num eorum, & venenum aspidum in-
sanabile*, contra quod fel & venenum
utinam tam potenter agam hodie,
ut in mel & siceram per Mariæ in-

intercessionem, & Iesu benedictio-
nem convertatur.

Dicant alij raram esse concordi-
am fratrum, dicam ego rariorem
esse concordiam conjugum, & pro
miraculo non immerito haberi, si
vel in sepulchro non litigent. Me-
minit Hieronymus epitaphij,
quod Romæ in via Tiburti-
na legerat in hæc compositum
verba: *heus tu viator! miraculum
hic! Vir & uxor non litigant*. Nu-
ptias vocavit Septimius *Matrimonii
pomum*, at quale quæso pomum?
an pentapolitanum foris adeò ve-
nustum, ut oculos rapiat, & orexim
excitet, sed morfu tentatum, ut lo-
quitur D. Augustinus, in fumum ac
favillam cono fatiscente vanescit.
speciosum, & amœnum plerisque
matrimoniu videretur, sed morfu uno,
unico mordaci opus est verbulo, &
ecce amor in odium, pax in furo-
rem, deliciæ in fumum evanescunt.
vel potiùs dicamus pomum esse pa-
radisiacum, cum in paradiso primæ
plantatæ sint nuptiæ, de quo Gen.
3. *erat pulchrum oculis, & aspectu de-
lectabile*, sed vix degustatum hoc
malum, quot heu peperit mala! *mul-
tiplicabo ærumnas tuas, in dolore pa-
ries filios*. ò malum ex quo plura,
quàm è Pandoræ pixide in orbem,
mala evolant. Alij matrimonium
malo punico comparant, inferibunt
que: *amaro dulce potest & pomum dis-
cordiæ* appellari, quod ex poetarum
fabula in veram transit historiam

§. 2.
Rara con-
cordia Cõ-
jugum.

Sept. 1. de
prud. c. 1.

S. August.
l. 21. de Ci-
vit. c. 5.

to. 2. l. 4.
c. 1. q. 4.

Deut. 32.
v. 33.

F 2

infa-

infascinat scilicet invidiæ dæmon pomum matrimonij, ut, quod concordia debuerat esse symbolum, discordiæ fiat trophæum; cui tollendo fascino vide, quàm selectas in ipsis nuptiarum solennijs sanctissima Christi Sponsa Ecclesia Catholica usurpet ceremonias.

§. 3.
Ex facris
nuptiarum
ceremoniis arguuntur discordes.

Antiquissimus, & facerrimus Catholicæ Ecclesiæ ritus est, ut in solennitate nuptiali celebretur Missæ sacrificium, benedicatur anulus, stolâ sacerdotali circumvolvantur Sponsorum manus, denique vinum amoris neonuptis propinetur. ad quid tanta ceremoniarum diversitas sacrificiû peragitur, ut nuptiarû principium faciat JESUS, sitque hospes præcipuus non die duntaxat primo, sed toto conjugij tempore. *Matrimonium Ecclesia conciliat, & oblatio confirmat*, ait Tertullianus l. 2. ad uxorem in fine. at expellunt è sinu, thoro, domoque Iesum discordes conjuges, & litium omnium auctorem, fautorémque dæmonem. inducunt, cui corpora, & animas suas sacrificant. Benedicuntur anuli, & digito cordiali [ob venam quæ ex eo digito in cor tendit, ut docet, D. Ambrosius L. de Patriarch: inferuntur, ut cor mutuo constringatur ad fidem firmiter servandam. at discordes conjuges anulum fidei abjiciunt, pro eoque characterem bestię assumunt, audituri aliquando à Christo id, quod exprobravit Judæ Thamar: *cognosce cujus sit anulus*, hocne erat servare datam Deo, hominibusque fidem? hocne erat aspirare ad beatæ anulum æternitatis, quem spondit Deus conjugibus mutuo amore conjunctis? hocne erat *Sacramentum magnum in Christo* repræsentare? ô conjuges non anulis, sed catenis, non aureis, sed ferreis, sed igneis, sed tartareis æternum digni. quid stola manibus circumligata significat? ad

Gen. 38.

Ephes. 5. v.
32.

crucem Christi mutuo sufferendam vos conjurare, & neque in prosperis, neque in adversis avelli, sed utramque fortunam fortiter illius amore, qui in cruce diem desponsationis celebravit, sponsumque sanguinum egit, sustinere velle. Si ergo diffiditis, jam non fideles, sed foedifragi estis, & facto ipso ejuratis illum, qui fecit utraque unum, principem pacis, & consummatorem fidei, qui dedit semetipsum pro vobis, ut essetis in illo una caro, & unus Spiritus fidei & amoris unitate. Ad hæc unio scinditur, hæc stola prodigitur, hoc pacis vinculum in opprobrium Christo & verbo ejus dirumpitur, & cor divinum sauciatur atque difsecatur per insanam vestram, nimumque crudelem infensati conjuges disensionem. Vinum amoris propinavit Christus, vos fel draconum, vos absinthium amarissimum, vos venenum aspidum eidem ingeritis, dum vinum conjugalis amoris felle rancoris permiscere, plenosque amaroris cados in vos mutuo pœnè quotidie evomere non cessatis. hi sunt convivales missus, quos hospiti Iesu apponitis, fel & acetum contra quod queritur: *dederunt*, discordes conjuges, *in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. heu quale vicissim vos absinthium, fel & venenum totâ æternitate hauriendum expectat.

pl. 68. v. 22.

Miror nonnunquam, & ex memetipso sciscitor, cur ejusmodi conjuges non opprimantur, abripiantur, discerpantur à dæmonijs; cum septem illi viri, qui Saram sponsam suam infatio amore deperibant à dæmonio oppressi fuisse legantur. Tob. 6. v. 14. peccaverunt illi in castitatem conjugalem; discordes verò conjuges peccant in charitatem, quæ longè major præ illa virtus est, magisque præ-

§. 4.
Cur dæmon non rapiat discordes conjuges?

1. Cor. 13.
v. 13.
Joan. 15. v.
11.

præcepta [*major horum est charitas : hoc est præceptum meum, ut diligatis in vicem*] cur ergo, qui magis peccant, minus puniuntur? respondebit mihi aliquis ex Eccles. 9. v. 2. *omnia in futurum servantur*; quin imò non est opus, ut vivi abripiantur in gehennæ barathrum, cum mordacissimum in domo, & animo suo circumferant infernum; si enim ex sapientissimi Regis effato: *dura sicut infernus æmulatio*. Cant. 8. proh quot infernos tolerant, qui pluri- mas fovent æmulationes. Si juxta doctrinam Hieronymi domus illa, in qua regnat charitas, paradifus vocanda est, cujus inquilini sunt angeli; domus verò discordiæ vivus quidam infernus est & altero inferno tantò deterior, quantò vivus draco horribilior est exanimi, non miror in infernum ocyus discordes nõ abripi, etsi hunc invicem pro pane quotidiano imprecentur, habent enim jam infernum suum, horrèntque eosdem diaboli in suo tam citò habere inferno, quorum præsentia mirum quantum lamenta, & tormenta gehennæ, velut incendium lignorum strue super injecta, augebuntur. Non rapuit malus dæmon uxorem Jobo, ut per eam gravius, quàm ab ipso dæmone, miserrimus Job torqueretur; ex eodem fortassis capite alterutrum conjugem dæmon non opprimit, ut gravius & diuturnius am- borum sit tormentum,

Marci 5. à v. 2. describitur Energumenus, qui semetipsum lapidibus concidebat, compedum & catenarum impatiens, quas frequenter difrumpebat: *quoniam sepe compedibus & catenis vinctus dirupisset catenas, & compedes comminisset, clamans & concidens se lapidibus*. energumeno huic simillimi sunt crudeles mariti, qui conjuga- lis, impatientes jugi, & D E I

F 3

præcepta, & senatûs consulta ex- cutiunt, vociferantur & concidunt semetipsos, dum uxorem verberibus cædunt; Sicut enim se ipsum diligit, qui uxorem diligit; ita seipsum concidit, qui cædit uxorem. Scio quidem jactari ab hiscè verbero- nibus Paulinum illud: *castigo corpus meum, & in servitutem redigo*, at

1. Cor. 9.
v. 27.

vel inde colligere est, quàm insen- sati sint, quòd non sentiant, quæ corpori sive uxori infligunt verbera, nec suam agnoscant insaniam, dum sanguinem suum dæmoni cum e- nergumeno litant, in ejusdemque se redigunt servitutem.

O dissanimes conjuges quid di- cam de vobis? miserabiliores gen- tilibus, deteriores bestiis, pejores dæmonibus, sceleratioribus Christi- cidis estis vos. placet demonstrare singula? Tiberius Gracchus teste Valerio Max. 14. c. 6. duos angues marem, & fæminam in suis ædibus deprehenderat, consultus aruspex respondit: si serpens masculus oc- cideretur dimissa femella, moritu- rum Tiberium superstitè uxore Corneliâ; si verò fæmella interime- retur, Tiberium Corneliâ longævi- orem fore. quo audito Tiberius serpentem marem mox interemit exclamavitque: *Vivat Cornelia*. En quantus amor gentilium con- jugum, quot putas conjugum paria pari charitate præditorum in hac urbe Christiana reperero? tur- tures, philomelæ, ciconiæ, leones ad probrum humani generis fidem dilectionemque conjugalem vitâ ducunt potiore. Dæmones in se mutò non sæviunt, quia regnum suum divisione intercedente stare nequaquam posse noverunt. Cru- cifixores Christi nullam confregê- re costam, nullum os comminuere nec tunicam inconsutilem discide- runt. quid discordes Conjuges? tu- nicam Christi conscindunt, & co- stam,

§. 5.
Discordes
conjuges
pejores
sunt dæ-
monibus
& crucifi-
xoris
Christi.

stam, de qua sumpta mulier, & os, quod concordiae symbolum est, confringunt; odia plusquam diabolica in sese mutuo fovent, de gemitu turturum quidem non parum, nihil de fide habent, non vitam, sed mortem pro quotidiano *ave* imprecantes & tamen inter hæc intestina odia, Deum à se amari, seque à Deo diligi, putant.

§ 6.
Discordes conjuges nec amant Deum, nec amantur à Deo.

Quid? Deum ut ament, & amentur à Deo? *qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* I. Ioan. 4. v. 20. Exosissimi sunt Patri, Filio, Spiritui Sancto, cujus imaginem, & similitudinem conjugalis concordia exprimit, discordia destruit. in Paradiso nuptias Pater fundavit, egitque paranymphum, & adstitem, cum adduxit Evam ad Adamum, ut duo essent in carne una; at discordes conjuges separant, quod Deus conjunxit, destruunt quod omnipotens ædificavit (ædificavit enim costam in mulierem, ut habent 70.) perdunt, quod Pater fundavit, & putabunt adhuc se Patri placere posse? Filius Dei in exemplar amanti conjugum se proposuit, & sponsam suam in incarnatione assumptam dimisit nunquam, odio habuit nunquam, contumeliã affecit nunquam quin imò pro sponsa sua mortuus, vitam ei immortalem contulit, & ad Patris æterni dexteram collocavit. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam*, ille author fidei, & consummator charitatis Iesus exemplum dedit, quod à vobis vilipenditur, proculcatur, conspuitur, annihilatur. & creditis adhuc Filio Dei placere vos, eundemque redamare? præceptum illius est. *ut diligatis invicem*, quo præ cæteris Christiani Conjuges obstringuntur tum propter juratam Deo, sibi que invicem fidem, tum propter ipsiusmet statum rationem,

Eph. 5. v. 25.
Colof. 3. v. 19.

quæ sine charitate minus consistet, quam absque unione corporis, & animæ vita consistere possit; & vobis præceptum pro joco, pro fabula, pro crepundiis est? spondit Christus *in medio* se affuturum ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine ejus, at vestra à vobis Christum abigit discordia, & medium inter vos cacodæmonem habitare facit, qui immanis instar carnificis maritum & uxorem tanquam feroces tauros in contrarium adigit, ut laceretur cor, & corpus Christi, concordia inquam Christianorum, quam pro suo corde ducit Salvator, separenturque corpora conjugum, quæ pro membris suis Christus reputat teste gentium Doctore: *corpora vestra membra sunt Christi.* I. Cor. 6. v. 15. & v. 19. *membra vestra templum sunt Spiritus Sancti.* Violat templum Spiritus Sancti, qui ex ultionis spiritu verberat, vulnerat, mortificat uxorem, contra quem lata lex est: *disperdet illum Deus.* I. Cor. 3. v. 17. Quid porro dicemus de Spiritu Sancto? quale solatium divinus iste Paracletus habet ex conjugum discordia? non potest exhilarare Spiritum, quod recreat diabolum; non potest inde gaudium nasci in cælo, unde jubilus, & plausus oritur in inferno; non potest aridere Spiritui Sancto, quod Angelis pacis amaras provocat lachrymas, quibus vestros ruptos, atque corruptos deplorent amores.

Matth. 18. v. 20.

Quod si interroger, utrum de conjugibus maritum, an uxorem censeam esse potiore discordiarum originem, atque calamitatum domesticarum authorem? indubitata pronuntio, maritum potius reum videri, quam uxorem. Cum enim maritus uxore censeatur esse prudentior (non enim hæc de cerebro viri, sed de costa formata est, nec nisi unica in fabulis de cerebro pro-

§ 7.
Uter conjugum magis reus esse solet.

prodiit, eaque innupta minerva) oportebit virum regulis prudentia naturalis dirigi, & discordiarum causas praevidere, atque remove- re. Cum caput mulieris vir sit, capiti merito imputatur, quod in domestico regimine male admini- stratur. Quid valent membra cœ- tera capite infano? sicut periculo- sissimi quique morbi puta apople- xiæ, & hemiplexiæ ex capite descen- dunt, ita ex marito domesticæ æ- gritudines atque ærumnæ. est ma- ritus velut navarchus in navi, in ur- be rector, in grege pastor, episco- pus domi suæ, ut Augustinus do- cet, percutit itaque dæmon pasto- rem, ut dispergatur grex, pervertit episcopum, ut domestica intereat Ecclesia, corrumpit rectorem, ut fa- miliaris evertatur respublica, navar- chum exerrare facit, ut classis nau- fragetur. Jactant subinde mariti uxorem sibi pro orco esse, atque ad hoc probandum detorquent ana- grammatismum veterem, quo uxor, & orcus, si littera x in eis resolvatur, controvertuntur.

Quisquis in uxorem cecidit, de- scendit in orcum,

Ritè inverfa sonant, *ucfor*, & *orcus* idem.

at nesciunt hi nafutuli, quòd suo sese pungant, conficiantque acumi- ne, nam:

Ucfor, & *orcus* idem est. Sed in orco est Belzebub. ergo

Orcus si fuerit fœmina, *Vir Sa- than* est.

Nec vir Sathan, nec infernus foret uxor, si genuina inter utrumque charitas intercederet. Viris præ- ceptum est: *viri debent diligere uxores* Eph. 5. v. 28, & v. 33. *uxorem (vir) sicut seipsum diligit*; nusquam verò scriptum legitur: uxores de- bent diligere viros suos, ad hoc e- nim præceptis non egent, sed na- tivo feruntur impetu, frenoque ma- gis, quàm calcari opus habent. & verò fræna ijs quotidiana injiciunt improbi mariti, qui non nisi contu- melijs, & verberibus uxoria obse- quia & dilectionem pensant parricidis pares, dum verbera infligunt, feminis omnibus effeminationes dum contumelias inferunt. hæc non mea, sed Chrysofomi est ora- tio homil. 15. in Act. & 26. in 1. Cor. *contumeliâ afficis mulierem? nè fias tu mulier. muliebres enim est contume- liâ afficere. verberare autem uxorem, extrema est contumelia, non ei quæ verberatur, sed ei, qui verberat. Virum ejusmodi, si vir appellandus est, & non bestia, instar parricidæ habeamus.* à quibus urbem hanc præservet, liberetque Dei clementia, & pervigilis magistratûs justitia, ut sub oliva mi- sericordiæ, & gladio vindicis justi- tiæ omnes in pace, & concor- dia conjuges vivere videamus, & gau- damus.

